

# Commentaria in Plotini "de Bono sive de Uno" librum (Enn. VI 9)

por J. IGAL

Aureum quod *De Bono sive de Uno* Plotinus elucubravit opusculum auctores non pauci multis ingenii luminibus illustraverunt, ita tamen ut nondum obscuritates omnes penitus discussissent, sed librum nobis reliquerint raris quasi nubeculis conspersum verba mentemque Plotini hic illic celantibus. Quarum si vel unam alteramve quacumque ratione dissipaverimus, satis nobis fecisse videbimur dum editionem criticam Enneadis Sextae, quae coniunctim a P. Henry et a H.-R. Schwyzer clarissimis editoribus iam pridem comparatur, praestolamur.

Quid assecutus sim nescio. Certe nullum locum qui mihi videretur obscurus intemptatum reliqui, nullum consulto praetervectus sum, sed difficillimo cuique obviam ivi tum novas sive coniecturas sive interpretationes adducendo, tum veteres at prope intermortuas renovando, tum denique textum traditum a nimium facile immutantium amputantiumve coniecturis religiose tutando. Ut res ipsa postulabat, nonnullos locos praetereunter et quasi per transennam aspexi, alios minutatim exploravi<sup>1</sup>.

1.29-30 μάλλον ἔχει κατὰ τὸν λόγον τοῦ μάλλον καὶ ὄντως εἶναι τὸ μάλλον ἔν. Anima, quamquam ab Uno diversa, tamen "*ut magis est atque entitative est, ita pro portione magis habet quod magis unum est*".

1 Numero lineolas intra capitula in *Enneade* VI iuxta BRÉHIER, in ceteris *Enneadibus* iuxta HENRY-SCHWYZER.